



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Melfiensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ejus penitus abnegantes. Licet autem contra vulpes huiusmodi paryulas, species quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate convenient in id ipsum, diversa prædecessorum nostrorum temporibus emanaverint instituta, nondum tamen usque adeo pestis potuit mortificari mortifera, quin sicut cancer amplius serperet in occulto, & jam in aperto suæ virus iniquitatis effundat, dum palliata specie religionis & multos decipit simplices, & quoddam seducit astutos; factus magister erroris, qui non fuerat discipulus veritatis. Ne autem nos, qui licet circa horam undecimam inter operarios immo verius super operarios vineæ Domini Sabaoth sumus à patre familiæ evangelico deputati, & quibus ex officio pastorali sunt oves Christi commissæ, nec capere vulpes demolientes vineam Domini nec arcere lupos ab ovi-bus videamus, & ob hoc meritò vocari possimus canes muri non valentes latrare, ac perdamur cum malis agricolis, & mercenarij comparemusr, contra defensores, receptatores, fautores, & credentes hæreticorum aliquid severius du-ximus statuendum: ut qui per se ad viam rectitudinis revocari non possunt, in suis tamen defensoribus, receptoribus, & fautoribus, ac etiam creditibus confundantur; & cùm se viderint ab omnibus evitari, reconciliari desiderent omnium unitati. De communि ergo fratribus nostrorum consilio, assensu quoque Archiepiscoporum & Episcoporum apud sedem apostolicam existentium, distriicti inhibemus, ne quis hæreticos recepitare quomodolibet vel defendere, aut ipsis favere, vel credere quoquomodo præsumat; præsenti decreto firmiter statuentes ut si quis aliquid horum facere fortè præsumperit, nisi primò secundò commonitus à sua super hoc curaverit præsumptione ceslare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia vel consilia civitatum, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi cogatur super quoconque negotio respondere. Quod si forsitan iudex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit Advocatus, ejus pa-

trocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur. In similibus etiam idem præcipimus observari. Si vero Clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur; ut in quo major est culpa, gravior exercetur vindicta. Si quis autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, contempserit evitare, anathematis se noverit sententiam incurrisse. In terris vero temporali nostræ jurisdicitioni subjectis, bona eorum statuimus publicari. Et in aliis idem fieri præcipimus per Potestates & Principes séculares; quos ad id exequendum, si forte negligentes extiterint, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compelli volumus & mandamus. Nec ad eos bona ipsorum ulterius revertantur, nisi eis ad cor redeuntibus & abnegan-tibus hæreticorum consortium aliquis voluerit misereri; ut temporalis saltem pena corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cum enim, secundum legitimas sanctiones, reis læsa majestatis punitis capite, bona confiscantur ipsorum, eorum filii vita solummodo ex misericordia conservata; quanto magis, qui aberrantes in fide\* Deum Dei filium Iesum Christum offendunt, à capite nostro, quod est Christus, ecclæsiastica debent districione præcidi, & bonis temporalibus spoliari, cùm longè sit gravius æternam quam temporalem lädere majestatem. Nec huiusmodi severitatis censuram orthodoxorum etiam exhereditatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu, debet ullatenus impedire, cùm in multis casibus etiam secundum divinum iudicium filij pro patribus temporaliter puniantur, & juxta canonicas sanctiones quandoque feratur ultio non solum in auctores scelerum, sed & in progeniem damnatorum. Decernimus ergo &c. nostræ inhibitionis & constitutionis &c. Datum Laterani VIII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

## MELFIENSI EPISCOPO.

**A** Liquo dubitationis scrupulo emer-gente, ea quæ incerta videntur sancti patres ad sedis apostolicę decreuerunt oraculum preferenda. Quorum si quidem vestigia laudabiliter imitatus, à nobis

\* In Tertia Cal-  
le. Domini  
Dei fil.

Epi. 1.  
Vt spongia  
inter impubes  
contracta, si  
puberes facti  
consenserint,  
consummatu-

nobis inquirere studiisti, utrum inter duos parochianos tuos matrimonium quod, puella probante infra nubiles annos se ductam à viro fuisse, de consilio dilecti filii nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, tunc apostolica sedis Legati, per divortij sententiam diremisti, possis redintegrare licenter, cùm eadem puella jam nubilem ætatem attingens consensum adhibeat, & nullus ex eis ad alia vota se duxerit transferendum. Ad quod tibi taliter respondemus, quod nisi aliam causam rationabilem intervenire cognoveris, securus ad copulam ipsius matrimonij tibi patet absque aliqua hæsitatione processus. Datum Laterani II. Idus Martij.

*GVID. ABBATI MONASTERII  
sanctæ Marie de Lundors, ejusque  
fratribus tam presentibus quam fu-  
turi regularem vitam professis in per-  
petuum.*

Epi. 1.  
De confirmatio-  
nate privile-  
giis,

**R**eligiosam vitam elegantibus &c. usque ad verbum ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium à dilecto filio nobili viro David Comite fratre carissimi in Christo filij nostri W. illustris Scotiæ Regis constructum est, cum omnibus pertinentiis suis, per suas rectas divisas, & liberam curiam in terra vestra, & firmam pacem infra divisas ipsius villæ de Lundors, sicut charta dicti Comitis protestatur. Ecclesiam quoque ejusdem villæ de Lundors, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet capellas de Bundamor, & terram ad prædictam Ecclesiam pertinentem, per suas rectas divisas, & alias terras in eadem villa, sicut in charta ejusdem Comitis continetur. Insulam quæ vocatur Redinche, & Piscarias in They, juxta prænomina- tam insulam. Molendinum de Lundors, cum omni secta sua, & multura. Ecclesiam quoque de Dunde, cum omnibus pertinentiis suis, & terram ad eandem Ecclesiam pertinentem, & unum toftum in burgo de Dunde liberum & quietum ab omni servitio & exactione. & unam carrucatam terræ in villa de Neutile. & in villa de Pert, terram quæ vocatur Insula ultra Mineth Fintreth per suas rectas divisas cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam ejusdem villæ cum perti-

nentiis suis. In Garviah, Lethgavel, & Malind, cum omnibus pertinentiis suis per suas rectas divisas. Ecclesiam de Rotcheth cum capellis suis, scilicet Inverurin, & Munchegin, & aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Durnah, Ecclesiam de Prame, Ecclesiam de Rathmuriel, Ecclesiam de Inchemanbanin, Ecclesiam de Culsamuel. In episcopatu Lincolniensi. Ecclesiam de Cuningrone, Ecclesiam de Wissinden. In episcopatu de Stratheren, Ecclesiam de Mothel, Ecclesiam de Chelalemund, cum capellis prædictarum Ecclesiarum & terris & decimis ac omnibus earum pertinentiis ad proprios usus monachorum concessis, & unum plenarium toftum in burgo de Inverurin liberum & quietum ab omni servitio & exactione. Decimas omnes quas habetis in terra prædicti Comitis, & extra. Ex donatione quoque Regis Scotiæ unum plenarium toftum in burgo de Berriic, & aliud plenarium toftum in burgo de Strivelin, plenarium toftum in burgo de Carel, plenarium toftum in burgo de Pert. plenarium toftum in burgo de Forfar, plenarium toftum in burgo de Murrays, & unum plenarium toftum in burgo de Aberdeen. & terram unam in villa de Pert, in libero burgagio. Sanè novatum vestrorum &c. Prohibemus insuper ut nulli &c. Cùm autem generale interdictum &c. Crisma vero &c. Sepulturam præterea &c. Prohibemus insuper ut infra fines &c. Ad hanc etiam inhibemus, ne quis in vos &c. Obeunte vero te &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolica auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XIII. Kalend. Aprilis, indictione I. incarnationis dominice anno M CXCVIII. Pont. vero Domini Innocentij Papæ III. anno II. [ Legendum, Indict. II. incarnationis dom. anno M CXCIX.

*CONSVLIBVS ET POPVLO  
Efnis.*

**C**um apostolica sedis jurisdictio spiritualis nullis terminis coarctetur, immo super gentes & regna sortita sit potestatem, in multis etiam per Dei gratiam ejus extenditur jurisdictio temporalis: quæ licet aliquando visa fuerit propter quorundam violentiam coar-

Epi. 4.  
Vt in reducen-  
da Marchia ad  
obedientiam  
Pontificis dili-  
genter laborat,

V u